

nonicis quotidie pronuntiandum, Voluntarie sacrificabo tibi.

At si propter aliud laudas Deum, ait S. Augustinus in Pf. 5. ex necessitate laudas. Si adesset tibi quod amas, non laudares Deum. Vide quid dicant: Laudas Deum, v.g. ut tibi det amplam pecuniam, (ut distributiones accipias), si aliunde haberes amplam pecuniam non a Deo, num quid laudares Deum? Si ergo propter pecuniam laudas Deum, non voluntarie sacrificas Deo, sed ex necessitate sacrificas, quia propter illum nescio quid aliud amas.

Qui ergo Divinas Laudes Deo perfolvit, Horasque Canonicas frequentat, ut distributiones lucretur, non frequentaturus si earum lucrum non speraret, aut aliunde habere posset, convincitur non voluntarie, sed ex necessitate Deum laudare, sive divinum Officium perolvere.

III. Uterius, novit Ecclesia illud jam pridem ab eodem Doctore pronuntiatum: Quaecumque res propter aliud aliquid queritur, sine dubio inferior est (nimirum appetitione querentis) quam id propter quod queritur: & ideo illud primum est propter quod rem istam queritis, non ista res, quam propter istud queritis. Quapropter, si Evangelium & Regnum Dei propter cibum, querimus, priorem facimus cibum, & posterius Regnum Dei.

Qui ergo Officium divinum querit, seu frequentat propter materiales has Distributiones, convincitur pluris aestimare Distributiones, quam ipsum divinum Officium; & priores facere Distributiones, quam Officium divinum.

IV. Quinimodo, qui eo animo horas canonicas frequentat, spiritualibus terrena mercari convehitur: nam, ut ait S. Bernardus, qui Officium Ecclesiasticum querit, aut eo tenet animo, cogit, intuitu, ut huic vite habeat necessaria, perperis nimis ordine celestibus terrena mercatur.

V. Cum igitur ratio Simoniae in hoc praecipue consistat, quod morali agendi modo, res spirituales temporalibus aequiparentur, aut postponantur; ipsaq; spiritualia ut medium ad obtinendum temporalia ordinentur, non dubitant Canonistae post Glossam in c. unic. De Clericis non resid. in VI. condemnare Simoniam mentalem Canonicum, qui interest Officio divino principaliter pro denario.

Quid de eo senserint Patres Synodi Coloniensis anno 1535. discant Canonici ex iis, quae parte 3. c. 13. tum optando, tum hortando & comminando Canonici proposuerunt: Utinam, inquit, optando a Deo Opt. Max. confestim, qui possimus, ne quisquam lucri causa divinis interesset, alioqui non accessurus sacra, veluti quem nummi magis quam Dei amor in templum trahit, quaestum pietatem esse putantem: qui non dubium, ex numero eorum est, de quibus Isaias dixit: Omnes diligunt munera, sequuntur retributiones. Nec multum is abest (uti plerisque doctissimis Viris placuit) ab horrendo crimine Giezi, qui existimavit Divinum munus pecunia redimendum. Quare viderint Clerici nostri, ut eorum mens & intentio tota in Deum referatur, ut cum David confiteantur Deo in directione cordis, ac in labiis suis pronuntient omnia iudicia oris ejus. In via etiam testimoniorum Domini delectentur sicut in omnibus divitiis. Optandum ut Psalmus ille 118. qui toties non sine causa in Ecclesiis replicatur, ore simul & corde, respondente singulis verbis mente decantetur & cum eodem Psalme ex animo dicatur: voluntarie sacrificabo tibi & confitebor nomini tuo Domine quoniam bonum est. Non admittit Christus, sed decernit operanti suam mercedem: dignus est enim operarius mercede sua, & qui altario deservit, de altario & vivet. Sed interim cogitare debet Clericus, se vivere non ut edat, sed edere ut Christo vivat, habereque semper reconditum Christi verbum, primum quae regnum Dei & iustitiam ejus, & haec omnia adjiciuntur vobis.

Similiter Stephanus Episcopus Parisiensis dubitasse non videtur, Simoniam mentalem committi a Clericis qui Divinum Officium ob solam spem materialium distributionum frequentant: Prohibemus vobis omnibus, (inquit in sua Synodo) ne committatis Simoniam etiam men-

talem, ad eundem ad Divinum Officium sub spe materialium distributionum.

VI. Quis vero censeri debeat principaliter Horis Canonicis propter distributionem interesse, licet id ab interiori animi affectu dependere videatur, frequenter tamen non obscura occurrunt externa indicia, hanc animi constitutionem pandentia.

Si v.g. Canonicus Horas illas sollicitè frequentet quibus distributiones majores sunt annexae, illas vero quibus nulla aut exigua constituta sunt, sine justa causa passim negligat: nullamque illas frequentandi sibi curam esse ostendat, indicium erit non obscurum, quod Horas non amore Religionis, sed amore pecuniae frequentet, easque tamquam medium ad distributiones ordinet. Canonicus quoque, qui mox ut officium, cui distributionum lucrum annectitur, est absolutum, è choro discedere solet, neglecto Officio quod distributiones non pendit, tamen si etiam immediate sequatur, difficulter se à suspitione Simoniaci liberabit.

Quapropter Pius Parisiensium Cantor Simoniae arguit Clericos, qui volebant Festum S. Stephani postulare quodam Praetato, ritu duplici cantari, Nisi una passum & refectionem annuam Clericis promitteret, insuper nummos maritinales illius noctis duplicandos; ut sic celebrarent potius Festum nummi duplicati, quam Festum S. Stephani. Quibus sunt similes, pergit Petrus Cantor, quidam in Ecclesia psallentes & pro pretio cantantes, quibus pecunia disciplina est, nummus Decanus, ac etiam Deus; qui idololatras sunt, nummum potius adorantes, quam Deum: non alias Deo cantaturi, nisi propter nummum.

Subdit deinde praedictus Auctor: Quid vilius, quam duas horas in Ecclesia quadam (quia ad illas decantandas non est constituta certa pecunia) a Laicis dici horas Domini, ceteras denarii, imò diaboli; imò ad has horas decantandas & horas Beatae Virginis non adsunt Clerici, sed praesentes in aliis, ab his fugiunt, ut nullum opus sibi vendicet in Ecclesia Spiritus sanctus, cum nihil gratis in ea fiat, sed omne sibi vendicet nummum.

Si hodie superesset Petrus, in multis reperiret Ecclesiis quod in una se reperisse deplorat, & quasdam Horas Vicariorum, quasdam Canonicorum & Capellanorum, non immerito appellandas videret.

Nonne cum magno divini officii dedecore conspicitur à duobus tribusve Vicariis Horas illas passim cursum, & syncopando decantari, quibus decantandis nullus nummus est constitutus? Numquid qui diligunt decorem Domus Dei, magno animi dolore videre coguntur Canonicos, capellanos aliosque clericos ex Horis canonicis, quibus distributiones quotidiane sunt assignatae penè non absolutis, quasi aufugere, & ad plateas aut confortia confabulationis causa se conferre, interim illa officii parte, quae distributione caret, neglecta?

CAPUT IX.

De Residentia canonicorum.

- 1 Omnia Beneficia de Jure communi residentiam requirunt.
2 Ex Decreto Concilii Trid. Canonici ad residentiam tenentur.
3 Quid sit residere.
4 Canonici integro Divino Officio assistere debent.
5 Sine causa nequidem tres menses abesse possunt.

I. Cum beneficium detur propter officium cap. fin. De rescriptis in VI. nullum ad beneficium esse assumendum, ni una in eo loco resideat, ubi officium obire possit, jure cautum est: de quo ut rectè post alios canonistas notat Fagnanus ad Capit. Conquerente De Cleri-

Clericis non resid. Beneficium quantumcumque minimum, puta viginti solidorum, ex quo habetur pro titulo, de jure communi personalem residentiam requirit, adeo ut non residens beneficio privari debeat. Hæc Fagnanus, qui addit: Iste textus (scilicet citatum Capit. Conquerente) optime probat beneficium quantumvis tenue, de jure communi obligare ad personalem residentiam.

II. Igitur juxta disciplinam juris communis, Canonicos ad personalem residentiam astringi dubitari nequit. Quam æquissimam, atque intentioni fundatorum planè conformem disciplinam tempore Synodi Trident. multum proplapsam, restaurare desiderans eadem Synodus, statuit Sess. 24. cap. 12. De reformat. Quod obtinentibus in Cathedralibus aut Collegiatis Ecclesiis dignitates, Canonicatus, præbendas aut portiones, non liceat vigore cujuslibet statuti, aut consuetudinis ultra tres menses ab eisdem Ecclesiis quolibet anno abesse: salvis nihilominus earum Ecclesiarum constitutionibus, quæ longius servitii tempus requirunt.

Cum Synodus hanc novem mensium residentiam requiratur, non obstante quocumque statuto, aut quacumque consuetudine contraria, rectè respondit S. Congregatio, referente Fagnano ad cap. LKCEY. De præb. Num. 32. Eo de creto sublatam esse consuetudinem immemorabilem vacandi ultra tres menses à servitio chori.

II. Residere autem juxta mentem Canonum, & Synodi Tridentinae, Est cum effectu Ecclesiae in divinis deservire; nam residentia, ait Fagnanus loco citato num. 24. debet esse laboriosa, non desidiosa; cum beneficia ad divinum cultum & Ecclesiastica munia obeunda sint constituta. Quid enim prodest praesentia in loco, inquit Glossa ad cap. Unic. De Clerico non resid. in VI. ex quo divinis non adsunt.

IV. Ut ergo Canonici dicantur residere ad mentem Sacrorum Canonum, tenentur Divino Officio non tantum pro parte, sed integro assistere; alias enim pro parte dumtaxat residerent. Unde cum fuisset quæsitum à S. Congregatione, an valeret statutum, ut una vel duabus Horis intereurrentes lucretur massam grossam, sive præbendam, amissis distributionibus quotidianis, responsum est, non valere, Fagnanus dicto loco num. 35.

Rectè proinde notavit Joan. Wiggers de jure & iustitia tract. 7. cap. 4. dub. 20. num. 90. quod Beneficiati qui præbendas habent liberas sine alio officio, v.g. docendi, concionandi, audiendi confessiones, aut simili onere non gravatas, ut ritè peragant suam residentiam, non sufficit quod in die inter sint semel officio chori, etiam si forsitan ex consuetudine Ecclesiae permittantur tales gaudere proventibus cum aliis, sed debent interesse divinis officiis omnibus, ita ut à peccato mortali non videantur excusandi illi, qui justa cessante causa absentant se ordinariè ab uno aut pluribus officis.

Probat, quia ordo Canonicorum maxime, non Cathedralium, est in Ecclesia principaliter institutus, ut ipsi Horas nocturnis, & diurnis Deum in Psalmis, Hymnis, & Canticis spiritualibus laudent, pro beneficiis gratias agant, iram Domini precibus & intercessione sua à populo avertant: & exequantur illud Prophetæ Joëlis c. 2. Inter vestibulum & altare plorabunt Sacerdotes ministri Domini, & dicent, parce Domine, parce populo tuo, & ne des hereditatem tuam in opprobrium ut dominentur eis nationes: quo nomine liberalem passim ex bonis Ecclesiae obtinent sustentationem, Unde ex officio suo & ex seria Ecclesiae voluntate obligantur ista sedulo curare & præstare.

Dixi, inquit Wiggerius, qui habent præbendas liberas, quia in his qui habent alio onere gravatas, Ecclesia quasi commutavit officium chori in aliud munus sibi & populo magis necessarium aut magis utile: quare hi merito ab officio chori sunt excusati.

V. Denique notandum, concessionem sive permissio-nem absentiae ad tres menses, cujus meminit Synodus Tri-

den, non sic esse accipiendam, quasi Canonici liberè & licitè abesse possint à choro tanto tempore pro mero libitu; sed hoc sensu, quod tanto tempore abesse possint ex honestis causis absque speciali licentia superioris; sive quod illius absentiae causa legitima permittatur conscientiae Canonico-rum. Imo Synodus propriè nullum tempus absentiae dedit aut constituit, sed tantum prohibuit, ne longiori, quam trium mensium spatio abesset; sive, ut ait Fagnanus, non processit concedendo, sed prohibendo.

CAPUT X.

De causis excusantibus à residentia.

- 1 Facilius à residentia excusatur Canonici quàm Pastores.
2 Canonici in servitio Episcopi occupati à residentia excusantur.
3 Non requiritur licentia Capituli.
4 Tantum duo & quidem simplices Canonici cum hoc privilegio assumi possunt.
5 Absentia studiorum causa à residentia excusatur.
6 De jure communi requiritur licentia Episcopi, secus de consuetudine.
7 Debent absentes incumbere studio S. Theologiae aut sacrarum Canonum.
8 Debent transmittere litteras testimoniales de progressu in studiis, & quid haec continere debeant.
9 Litterae testimoniales non temere concedenda.
10 Privilegia haec restringuntur ad beneficia speciali titulo personale servitium non requirunt.
11 Clerici studiorum causa absentes observare debent statuta de vita & honestate Clericorum.
12 Familiares & Domestici Regis à residentia excusantur.
13 Limitationes hujus privilegii.
14 Notanda circa causas absentiae.
15 Solent restringi dicta privilegia ad fructus grossos.

Uamvis Canonicos ad residentiam, & personale obsequium in Ecclesia, cui sunt adscripti, obligent Sacri Canones, ipsiq; Canonicale officium; nihilominus esse legitimas nonnullas causas, quæ absentiam licitam faciant, ipsosq; Canonicos à poenis contra absentes decretis eximant, constat; imò frequentius posse esse causam sufficientem, ut Canonicorum absentia sit legitima, quam Parochorum, aut aliorum curam Animarum sustentantium dubium non est: tum quod ex illorum absentia non sit metuendum tantum, quantum ex horum, Animarum & Ecclesiae nocumentum; tum quod illorum facilius, quam horum absentia, aliorum praesentia suppleri possit.

III. Sic Canonicis donec in servitio Episcopi fuerint ne quidquid subtrahatur, quod de communitate sibi beneficio debetur, respondit Alexander III. in Cap. 7. De Clericis non resid. Ratio est, Quia absentes ab Ecclesia pro servitio Episcopi, ubi servitium est necessarium vel utile Ecclesiae, & respicit Episcopum, quatenus Episcopum, juris censurâ, ait Fagnanus ad dictum cap. 7. num. 12. reputantur praesentes, & censentur interire Ecclesiae. Et servitium Episcopi quatenus Episcopus est, censetur quasi servitium Ecclesiae, cui praesidet, cum Ecclesia sit in Episcopo.

III. Et quidem Canonicos in servitio Episcopi, etiam sine consensu Capituli, fructus in absentia lucrari, neque Episcopum teneri Capitulo probare utilitatem Ecclesiae, communitè notant Canonistae: id tamen ad duos uno consensu limitant auctoritate responsi Honorii III. in Cap. 15. Clericis non resid. Quamvis ergo supra citatum Cap. 7. loquatur simpliciter de Canonicis sine ulla numeri praedestinatione, tamen declarari & restringi debet, inquit Fagnanus, per dictum cap. 15. quod specialiter loquitur de duobus, idque Ecclesiarum usus approbavit.

IV. Ulterius si Canonicus in servitio existens Episcopi præter Canonicatum in eadem Ecclesia Dignitatem obtineret, ratione cuius ad speciale aliquod & personale servitium obligaretur non posset occasione huius servitii fructus illius Dignitatis absens percipere, nec à residentia eximi; ut iudicatum refert Carolus Fevret Tract. *De Abusu lib. 3. cap. 1. num. 13.* ibidem notans. Episcopos tantum posse assumere in suum servitium duos simplices Canonicos suæ Ecclesiæ, qui hoc privilegio gaudeant.

V. Secunda eaque hodie usitatissima absentia causa, est studium in Universitate publica & probata. "Studentes in Theologia Facultate, ait Honorius III. in *cap. fin. de Magistris*, integrè per annos quinque percipiant de licentia Sedis Apostolicæ proventus præbendarum & beneficiorum suorum, non obstanto aliquâ contrariâ consuetudine." Quin & Innocentius III. prædecessor Honorii, Canonicis esse indultum gratiâ studiorum ut in absentia percipiant fructus suarum præbendarum respondit in *Cap. 12. de Clericis non resid.* Voluitque & ipsa Synodus Tridentina *Sess. 5. cap. 1. de reformat.* "Ut Scholares, qui in ipsi Scholis student, privilegiis omnibus de perceptione fructuum, præbendarum, & beneficiorum, in absentia à jure communi concessis, plenè gaudeant, & fruuantur."

VI. Si jus commune spectemus, ut quis studiorum causa absens fructus percipiat, requirit expressam licentiam Episcopi ad Communiter docent Canonicis; & fuscè probat Fagnanus ad *Cap. Cum ad hoc de Cler. non resid.* "Ideo autem, tenet necessaria Episcopi licentia; quia cum transmittenda ad studia literarum debeant esse dociles, Episcopus debet sedulo disquirere, an sint ætate, naturâ, & ingenio tales, qui possint in literis proficere, & hos tantum licentiarum."

Verùm cum & privilegia Universitatibus Belgii indulta, ipsaque Concilia passim generaliter studiorum causa absentibus fructus beneficiorum in absentia indulgeant, praxis Belgii hanc Ordinarii licentiam non requirit; & ita quoque servari refert Rebutus in praxi *Benef. p. 2. de disp. de non resid. n. 25.* & iudicatum ait Fevret loco citato; qui & ibidem monet, hoc privilegium non concedi nisi sub certis conditionibus quarum prima hæc est, quod si soli hoc gaudeant privilegio, qui ad publicas Universitates mittuntur, ut studeant Theologiae, vel SS. Canonibus.

VII. Et sanè cum Theologica & SS. Canonum scientia penè unica sit Canonicorum & Clericorum vocationi conveniens; deoque sola Clericorum Scholastica disciplina vocetur, merito requiritur, ut illi operam suam navent. Unde S. Carolus in Concilio Mediol. *1. p. 2. c. 27.* recipientibus fructus in absentia causa studiorum imposuit hanc legem, ut "verè in publico, celebrique Gymnasio Theologiae vel SS. Canonibus studeant."

Hinc consonat praxis Curia Romanæ, quæ concedens licentiam absentia studiorum causa apponit hanc clausulam: "Orator operam in aliqua approbata universitate studii generalis, seu Gymnasio publico, studio Theologiae aut Decretorum, actu navare teneatur," Pyrrus Corradus *De Dispens. lib. 5. cap. 6.*

VIII. Altera eaque notanda conditio est, quod teneantur residentes in Universitate singulis semestribus, aut ad minus singulis annis, Episcopo, aut Capitulo litteras testimoniales sui Regentis seu Professoris de progressu in studiis exhibere. Et quidem S. Carolus in Concilio Mediol. *1. p. 2. cap. 27.* statuit, ut ii qui studiorum causa absint, "singulis sex mensibus Episcopo scriptum sui Doctoris exhibeant, quo is ipsos in eo studii genere proficere testetur, quod etiam Episcopus secreto ab aliis cognoscere studeat."

Similiter Patres Concilii Tolosani an. 1590. *p. 2. cap. 2. §. 5.* volunt. "ut studentes Canonici temporis fideliter examini studiorumque progressus Capitulum singulo anno admovent. Cujus rei statim à Capitulo Episcopus certior fiet."

"Synodus quoque Colonienfis anno 1549. *parte 1. c. 5.*

loquens de Canonicis ad Universitates studiorum causa mittendis, adjicit hanc cautionem, "dum tamen certis temporibus singulis annis ad collegia mittendis consistet, nec perverlis moribus eos deditos, nec studia vana, quæ ad Ecclesiæ adificationem non conducant, sectari: committendum enim non est, ut divino cultui dicata stipendia, in hujusmodi Canonicos dycolos erogentur."

Eodem collimant litteræ testimoniales, quas sigillo Universitatis munitas à Canonicis aliisque Clericis studentibus singulis annis exhiberi vult Synodus Mechl. *P. I. tit. De Vita & Honest. Cleric. cap. 4.* quæ & præcipit, ut litteræ illic quoque testentur, utrum Clerici studentes utantur vestitu Ordini suo & vocationi congruo.

Ex his evidens est, hoc studium privilegium eo unice collimare, ut Ecclesia aliquando egregios, & eruditos Ministros, & operarios habere queat: ut proinde nullatenus improbandum sit, quod iudicatum in Parlamento Tolosano refert Torneus *lit. C. cap. VIII.* ut si Canonicus studens in Universitate postmodum transeat ad statum matrimoniale, aut nolit esse professione Ecclesiastica, Capitulum potest repetere fructus perceptos.

IX. Ex his facile intelligitur, litteras testimoniales Clericis studentibus à Doctoribus, aut Universitate non esse annuendas, nisi prævio examine consistet de eorum in studiis diligentia & progressu: ne alias per hujusmodi testimonia Episcopis & Capitulis imponatur.

X. Solent denique hæc absentia privilegia restringi ad Canonicatus & beneficia, quæ speciali titulo *fundationis* non exigunt aliquod *personale* & particulare servitium; uti aliquoties in contradictorio iudicio decisum fuisse testatur Fevret loco citato; & addit, nonnunquam numerum Canonicorum volentium abesse studiorum causa restrictum fuisse ad duos aut quatuor pro majore vel minore numero Canonicorum præsentium; ne alias Officium Divinum aliaque Ecclesiæ munia absolvi non possent. Vide etiam Brodeau in notis ad Louëtium *Litt. C. cap. 6.*

XI. Denique meminisse oportet Canonicos in Academia studiorum causa versantes, quod Canones, ac Romani Pontifices pro tempore quidem eos à personali residentia absolvant, ut commotibus majorique otio studiis incumbere queant, scientiamque suæ vocationi congruentem comparare; nequaquam tamen eos eximant ab observatione eorum, quæ de vita & honestate Clericorum Canonibus decreta sunt; nullumque studiis impedimentum ingerunt.

Quapropter volvere Patres Synodi Mechl. *P. I. loco citato.* "ut Clerici qui in Academiis aut Scholis majoribus vel minoribus vivunt, & in alio quam in sui beneficii loco resident, intra mensem à die publicati hujus Concilii Provincialis, corona, pileo, caligis, & vestitu Ordini suo & vocationi congruo utantur; "cujus rei etiam in litteris testimonialibus singulis annis transmittendis mentionem fieri mandat."

XII. Plures alias, tum ex jure communi, tum ex privilegiis particularibus causas absentia recensent Doctores; & quidem Glossographus ad Sanctionem Pragmaticam titulo *Qualiter Hora sint dicenda Verbo, Teneantur*, dicit: "Ex privilegio Pii II. Mantuae concessio, Capellani, Clerici familiares & Domestici Regis & Reginae, in eorum servitio, percipiunt grossos fructus suorum beneficiorum, tamquàm si in iis residerent, non obstante, quod non fecerint primam residentiam ex statuto."

XIII. Verùm hoc privilegium probans Parlamentum Parisiense in favorem Capellanorum Capellæ Regiæ, illud limitavit, inquit Fevret Tract. *De abusu lib. 3. cap. 11.* ad fructus grossos, & tempus servitii. Et Litteræ Regiæ quibus Capellani Oratorii Regii conceditur jus percipiendi fructus in absentia, nominatim excipiunt distributiones quotidianas. Plurima judicata occasione hujus privilegii videre licet apud Brodeau in notis ad Louëtium *Litt. C. cap. 32. qui & cap. 24.* eodem privilegio gaudere asserit, Consiliarios Ecclesiasticos supremorum Parliamentorum tamquam Domesticos Regios; quique Regi in adm-

nistranda justitia continuo assistant; atque hoc titulo anno 1641. Concilium privatum adjudicavit Eustachio P. Escurer Canonico Tornacensi & Consiliario Ecclesiastico in Senatu Montensi fructus suæ præbendæ in absentia, ut refertur in Registro M. S. Archiepiscopatus Mechliniensis *Centuria. 2. art. 35.* Hoc tamen privilegium ut & præcedens non habere locum in beneficiis curam animarum habentibus; aut ex fundatione particulare & personale officium requiruntibus, sæpius iudicatum testatur Choppin in *Monastico lib. 2. cap. 3. & De polit. Eccles. Lib. 3. tit. 3. num. 20.*

Idem privilegium Principum nostrorum Domesticis & Capellæ Burgundiæ Capellanis concessum esse nostrates asserunt, & praxis comprobat; de quibus vide Zapæum in jure novo *tit. De Clericis non resid. n. 19.*

XIV. Porro circa hæc aliaque privilegia Canonicos aliosque Ecclesiasticos à residentia eximentia observandum, illa esse species quasdam dispensationis; ideoque, iis utentes expendere debent, num sit sufficiens causa nisi utendi, id est, ea Ecclesiæ utilitas aut necessitas, quæ compenset incommodum ex non residentia proveniens; nimirum quod fructus destinationis hujus particularis Ecclesiæ ministro percipiat; cum nullum interim huic Ecclesiæ officium impendat; ac insuper ministro privet, quem habere posset, si beneficium quod absens retinet dimitteret.

XV. Denique notandum, plerasque causas five de jure communi, five ex privilegio à residentia excusantes restringi ad fructus grossos in absentia percipiendos; pauciores vero esse, quæ & quotidianas distributiones comprehendant, de quibus capite sequenti.

CAPUT XI.

De Causis legitimis recipiendi distributiones in absentia.

- 1 Distributiones jure communi absentibus vix unquam conceduntur.
- 2 Corporalis infirmitas, aut Ecclesiæ utilitas non sufficit nisi concurrat consuetudo.
- 3 Consecratus Belgii nō. nihil luxior quam jus commune.
- 4 An audientes confessiones & celebrantes tempore Divini Officii gaudeant distributionibus?
- 5 An publice docentes tempore Divini Officii?
- 6 Quibus cedant distributiones absentium.

I. Jus commune spectemus, nonnullæ causæ quidem ut legitimæ probantur, ob quas Canonici alique similes Beneficiati à residentia excusentur, fructusque Beneficiorum etiam absentes percipiant; sed penè in omnibus cum restrictione ad solos fructus grossos, si ve præbendæ, ut vocant, exclusis distributionibus quotidianis, quæ *vitalia, vel manualia* dicuntur; eo quod in manuum presentem quasi t adantur; quæ de jure communi vix ulli absentem concedi reperies; adeo ut etiam si quis referiptum sive privilegium à Sede Apostolica obtinuerit de percipiendis fructibus cum clausula, *ac si presens esset*, "Nihilominus, ait Fagnanus ad *Cap. LICET De Prab. n. 101.* distributiones non deberentur. Nam harum distributionum est, est natura propria, ut debeantur his tantum, qui *verè* inter sunt Officiis divinis, non autem his, qui *fictè* resident, aut juris interpretatione."

Similiter Synodus Tridentina *Sess. 24. cap. 12. De Reformat.* statuit, "ut distributiones, qui statim horis interfuerint; recipiant: reliqui, quavis collisione aut remissione exclusa his careant, juxta Bonifacii VIII. decretum quod incipit, *Consuetudinem*, quod S. Synodus in usum revocat, non obstantibus quibuslibet statutis & consuetudinibus."

II. Nulli ergo nisi *actualiter* Horis Canonici interfuerint ex mente Concilii Trident. distributiones concedendæ sunt; idque juxta decretum Bonifacii VIII. à Synodo inno-

Van Espen *Jur. Eccl. P. I.*

vatum: quod decretum relatum in *Cap. unico de Clericis non resid. in VI.* reprobatur tamquam corruptelam omnem consuetudinem concedentem distributiones quotidianas aliis, quam qui *actualiter & verè* Horis Canonici interfuerint, *exceptis illis, ait, quos infirmitas seu justa & corporalis necessitas, aut evidens Ecclesiæ utilitas excuset.*

Hac exceptione nequaquam intendit Pontifex, distributiones concedendas iis omnibus, qui ex evidenti Ecclesiæ utilitate absint; aut quorum absentiam utilitas Ecclesiæ aliunde compensat, & excusat; sed solum vult, non esse improbandam consuetudinem, aut Ordinationem Ecclesiæ, distributiones absentibus annuentem, si modò vel infirmitas corporalis, aut evidens Ecclesiæ utilitas concurrat.

Quis enim dubitet, in Ecclesiæ utilitate cedere, ut Canonici in regimine Diocesis Episcopo assistant, & interfuerint; & tamen si jus commune spectemus, *distributiones* eis absentibus non debentur. Similiter negari nequit, quin absentia Canonicorum studiorum causa cedere possit in Ecclesiæ utilitatem, & tamen distributiones quotidianas nemo eis assignat.

Ut ergo de recipiendis in absentia distributionibus rectè judicemus, non tantum inquirendum, an corporalis infirmitas, aut evidens Ecclesiæ utilitas absentiam excuset, sed an etiam aliqua Ecclesiæ ordinatio vel consuetudo concurrat.

Ita in plerisque Ecclesiis absentes ob corporalem infirmitatem lucrantur distributiones illarum Horarum, quibus dum sunt interesse solent. Et licet Bonifacius VIII. in citato *Cap. unico* idem velit observari quoad distributiones in defunctorum anniversariis largiendas, tamen in nonnullis Ecclesiis Canonici absentes ob corporalem infirmitatem accipiunt distributiones Horarum, & non anniversariorum; Ut proinde id à consuetudine cujusque Ecclesiæ maxime dependeat.

III. Similiter, licet de jure communi tantum gaudeant distributionibus, qui occupantur in negotiis Ecclesiæ suæ, nihilominus consuetudo Ecclesiarum Belgii habet, conformiter ad Synodos Provinciales, intelligi "in Ecclesiæ negotiis occupari non solum eos qui Capituli vel fabricæ, negotia tractant, verba sunt Synodi Mechl. *P. I.* sed & Episcopum, Archidiaconum, Penitentiarium, atque illos omnes, qui propria dignitate, vel præbendarum, suarum munia obeunt, aut Episcopis Ordines conferentibus, visitantibus, ac in aliis Episcopatus negotiis occupatis adsunt, vel aliquo ab eis missi consilium & operam suam impendunt, quos, ait, pro eo tempore, re (fraude, & dolo seclusis) decernit pro presentibus reputari, & omnibus emolumentis gaudere debere; sicut, si *personaliter* divinis interfuerint." *Tit. De Officio Divino cap. 5.*

IV. Idem declarat Synodus Camerac. *P. II. tit. 18. cap. 5. & cap. 6.* ait: "Similiter eos, qui vel celebrant, vel audient confessiones, ipsa hora qua hæc faciunt, pro presentibus habendos esse, modò tamen ad Principales Horas juxta Ecclesiæ suæ consuetudinem ingressum fecerint, & Missâ suâ aut confessionibus finitis, si nondum sit perceptum officium chori, ipsam redeant." Idem quoad celebrantes habet dicta Synodus Mechliniensis *cap. 6.* Et ita quoad celebrantes & audientes confessiones tempore divini Officii in Belgio obtinet; tamen si jus commune quoad eos, quibus ex munere non incumbit otus excipiendi confessiones, vel obligatio illis Horis celebrandi, non omnino consonet; uti videre est apud Fagnanum ad *Cap. LICET De Prab. n. 118.*

Illud quoque notandum, quod consuetudo celebrantes tempore divini officii non excuset, nisi cum consuetudine concurrat juxta constitutionem Bonifacii VIII. *utilitas Ecclesiæ.* Unde Canonici, qui aliis majoribus negotiis non distraherentur, tempusque sufficiens habent, ut extra tempus divini officii celebrent; neque aliquod notabile occurrat quod celebrationem eo tempore exigit, nescio an vi hujus consuetudinis satis sint secuti; dum ita passim

E 2 divina